

stinus, sanctus Hieronymus, & sanctus Hilarius docent, Christo maximè propriè conuenit quod sequitur, Me expectant iusti, donec retribuas mihi: omnes enim iusti, & qui mortui fuerant ab origine Mundi, & qui viuebant in carne, ut Apostoli, aliquique fideles discipuli; expectabant maximo desiderio Christū resurgētem, & debita retributione gloriæ exaltatum; quia ex plenitudine gloriæ eius omnes acceptūri erant: nam quemadmodum dicit S. Ioānes cap. 7. Nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus: sic etiam dicere possumus, nondum animæ Sanctorum ex carcere Limbi ad Regna cælorum ascenderant, quia Rex gloriæ Christus in gloriam suam nondum introierat. Ex hebreo aliqui vertunt, Me coronat iusti, pro me expectant, sed vox, cathar, non solum coronare, sed etiam expectare, & sustinere significat, ut perspicuum est ex cap. 36. Iob. vers. 2. nam quod legimus, Sustine me, in hebreo est, catther li.

כָּתָר

כָּתָר

PSALMVS CXLII.

Titulus, & Argumentum.

Psalmus David, quando eum filius suus persequebatur.

IN hebreo solum habetur, *Psalmus David*, catena verba explicandi argumentis gratia Septuaginta Interpretes addiderunt, ut sanctus Hilarius affirmat. Quamvis autem Patres Latini hunc Psalmum expounderant de passione Christi, quem quasi ultrum Davidem persequebatur Iudas, ut aliger Absalon secundum Augustinum, vel populus Iudaicus secundum Gregorium: tamen dubitari non debet, quoniam ad litteram expō possit ac ipso Davide, qui persecutionem Absalonis, permissus peccati sui esse agnoscens, peccata sua deploras, & misericordiam à Deo postulas. Et enim Ecclesia Catholica hunc Psalmus ētiam se pœnitentiales numerat, quoniam prescribit David exemplo suo for-

mam precandi veris pœnitentibus, atque hunc sensum persequitur S. Ioannes Chrysostomus.

EXPLICAT. PSAL. CXLIL

Domine exaudi orationem meam, L auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.

Postulat initio Psalmi David exaudiri in veritate, & in iustitia, & non explicat, in qua petitione exaudiri velit, quia præsupponit, Deum intelligere, peti à se remissionem culpæ commissæ, ob quam puniebatur, intelligebat autem Deus hoc eum petere, & in hoc exaudiri velle, tum quia videbat desiderium cordis eius, tum etiam fortasse ex gemitu, & spiriis veræ contritionis. Sic enim S. Maria Magdalena nō legitur postulasse verbis remissionē peccati; sed ex lacrymis, quibus pedes Domini rigabat, intellexit Dominus quid peteret, & ait, Remittuntur tibi peccata tua. Ergo corde contrito David, & interno gemitus petens culpæ remissionem dicit, Domine exaudi orationem meam, quam tu bene intelligis, quæ sit: & id ipsum repetēs addit, Auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua. i. iuxta fidelitatem tuam, quæ seruas promissa tua de remissione pœnitentibus danda. Quod ipsum iterum repetit, cum addit, Exaudi me in tua iustitia, vbi per iustitiam intelligit fidelitatem, quæ est pars iustitiae, quam paulò ante veritatem vocavit, S. Ioannes Chrysostomus intelligit per iustitiam, benignitatem, qua virtus Deus erga veros pœnitentes: id est enim notat, Prophetam non dixisse, Exaudi me in iustitia, sed, in tua iustitia, qua videlicet virtus erga pœnitentes, quæ non tam iustitia, quam ineffabilis benignitas est. Si quidem Deus vbi viderit pœnitentiam, vbi audierit confessionem, continuo indulget offensas. Dic tu prior, inquit per Isaiā cap. 43. iniuitates tuas, ut iustificeris. Iudices homines querant confessionem Rei, ut cum damnaret. Deus querit, ut absoluat.

Deus